



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 56. Loqui debet Deus, sancti, maiores natu, Episcopi Ecclesiae.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

ni? *Melior est enim obedientia, quam victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatria, nolle acquiescere.*

QVI LOQVI DEBEANT.
CAPVT LVI.

*Loqui debet Deus, Sancti, maiores natu,
Episcopi Ecclesie.*

PRimò Deus loqui debet. Hinc *Isa. 42. 14. dicit Dominus. Taciui semper, silui, patiens fui, ut parturiens loquar: dissipabo, & absorbebo simul. Et David, Psal. 2. 5. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo turbabit eos. Quo spectat & id Isa. 62. 1. Propter Sion non tacebo. Et propter Ierusalem non quiescans, donec egrediatur ut splendor iustus eius, & saluator eius ut lampas accendatur. Psalm. 82. 2. Ne taceas neq; compe scaris Deus. Quoniam inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te ex-*

Deo conuenit loqui.

tulerunt

tulerunt caput, super populum tuum
 malignauerunt consilium, & cogita-
 uerunt aduersus sanctos tuos, &c. Et
 Dominus de se inquit, Isa. 65. 6.
 Ecce scriptum est coram me: non ta-
 cebo, sed reddam & retribuam in sinu
 eorum iniquitates vestras, & iniqui-
 tates patrum vestrorum simul, dicit
 Dominus. Imò orandus Deus cum
 Dauide, ne sileat, cum inquit, Psal.
 27. 1. Ad te Domine clamabo, Deus
 meus, ne sileas à me: ne quando taceas
 à me, & assimilabor descentibus in
 lacum.

Sãctis
 Dei
 conue-
 nit lo-
 qui,
 maxie
 me cũ
 Deo.

Secundò, Sanctis Dei. Vnde
 capit. 62. Isai. vers. 6. Qui remini-
 scimini Domini, ne taceatis, & ne de-
 tis silentium ei, donec stabiliat, & do-
 nec ponat Ierusalem laudem in terra.
 Hinc os nostrum debet, Psalm. 50.
 7. annunciare laudem Dei, & Psal.
 70. 8. repleti laude Dei, quæ Psal.
 33. 2. debet semper esse in ore no-
 stro, & annunciare iustitiam Dei.

Psalm.

Pfalm. 70. 15. & os nostrum, Pfal. 62. 6. labijs exultationis laudare eum, & Pfalm. 144. 21. laudationem Domini loqui. Et v. 5. gloriã sanctitatis suæ, & vers. 11. potentias Dei, & Pfalm. 118. 13. labijs nostris pronũtiare omnia iudicia oris Domini, & Pfalm. 70. 23. 24. lingua nostra meditari iustitiam Dei, & Pfalm. 34. 27. 28. iustitiam & laudem. Demum omnes vno ore honorificare Deum. Rom. 15. 6. Et, quia Rom. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*, debemus cum Dauide, Pfal. 118. 30. Domino nimis confiteri in ore nostro, & iuxta Oseam Prophetam, Ose. 14. 3. ablata iniquitate labiorum vitulos Deo reddere, & secundum præceptum Diui Pauli, Heb. 13. 15. Fructum labiorum, id est, laudem, debemus Deo offerre, atq; ita dicere cum Dauide, Pfalm. 70. 23. *Exultabunt labia*

mea quam redemisti; sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: cum confusi & reueriti fuerint, qui querunt mala mihi.

Maiores
ribus
natu.

Tertiò, maiores natu. Vnde Ecclesiastici 32. 4. *Loquere maior natu, decet enim te primum verbum diligenti scientiam.* Ibidem cap. 9. 24. *In manu artificum opera laudantur, & princeps populi in sapientia sermonis sui: in sensu verò seniorum, verbum.*

Epis-
copis.

Quartò, huc maximè referuntur Episcopi Ecclesiæ. De illis enim dicitur, Eccli. 15. 5. *In medio Ecclesiæ aperiet os eius.* Et id. Psalm. 18. 4. *Non sunt loquela neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Hinc instruens D. Paulus discipulum suum Timotheum Ephesiorum Episcopum, licet ætate iunior, inquit. 1. Tim. 4. 12. *Nemo ado-*

olescent

lescentiam contemnat: sed exemplum
esto fidelium in verbo, in conuersatio-
ne, in charitate, in fide, in castitate.
Dignæ Episcopo partes. Et rursus,
cū graui attestatione numinis di-
uini inquit, 2. Tim. 4. 1. Testificor
coram Deo, & Iesu Christo, qui indi-
caturus est uiuos & mortuos, per ad-
uentum ipsius, & regnum eius, pradi-
ca uerbum, in sta opportune, importu-
nè: argue, obsecra, increpa in omni
patientia & doctrina. Erit enim tem-
pus, cū sanam doctrinam non susti-
nebunt, sed ad sua desideria coacer-
uabunt sibi magistros, pruriētes auri-
bus, & à ueritate quidem auditum a-
uertent, ad fabulas autem conuertentur.
Tu uerò uigila, in omnibus labo-
ra, opus fac Euangelistæ, ministerium
tuum imple, sobrius esto.

CAPVT LVII.

Loqui debent Prophetae, & concionatores, Apo-
stoli, & prelati, & quibus incumbit proximo-
rū cura, & licet quoq; id mulieribus.